



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. LXXIX. Sollicita cura de salute animae, cum quis se peste percussum sentit, remediorum omnium optimum est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

uabit autem quàm plurimùm ad hunc finem velut optimum medium, legere & ad praxim reducere libellum P. Antonij Sucquet, quem recens scripsit, & inscripsit, Testamentum hominis Christiani, cui hoc votum suum præfigi voluit Illust. Mechliniensis Archiepiscopus: Vtinam nulli intestati, sed omnes moriantur testati iuxta hanc formam! Tu vide lector, & consiliũ hoc verè bonũ tanti viri sequere.

C A P. LXXIX.

Sollicita cura de salute anima, cum quis se peste percussus sentit, remediõrum omnium optimum est.

NON multum hoc caput à præcedenti diuersum est; nam qui debitè sese ad mortem præparat, potissimum de anima sollicitus est, quæ in æternum aut in cælo gaudebit, aut (quod ab omnibus qui hæc legent dignetur Deus auertere) in inferno cruciabitur. Aliqua tamen hinc addenda sunt ad instructionem eius qui iam peste (quam itidem ille idem auertat) percussus est, vt simul flagellum hoc diuinæ dextræ cedat ei vel in purgationem delictorum, vel in augmentum meritorum. Vbi ergo id cuiq; acciderit, non debet esse animo consternatus, neque per impatientiã Deo visitanti obmurmurare, multò minus per blasphemiam in eundem insurgere. nam vt supra ex Greg. retuli, & hinc rursus repeto: In flagellis positos, digna flagellis committere, contra ferientem est specialiter superbire, & sæuientis iracundiam incitare. Verum id à Deo tibi ad vtilitatẽ tuã obuenire cogita. *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit, ipse vulnerat & medetur, percutit, & manus eius sanabunt.* Incommodum

1. reg. 2. &
Iob. 5.

Ddd 2

igitur

igitur istud patienter tibi ferendum est, & in primis cogitandum de animæ salute per Sacramentum pœnitentiæ & debitam Euchariistiæ sumptionem: est enim, teste rerum omnium æquissimo æstimatore Christo, anima plus quàm corpus; quam si semel perdidideris, omnia perdidisti: ideo prius de ea cogitandum quàm de sanando corpore. nam interdum per sedulam animæ dispositionem dat Deus alicui beneficium euadendi mortem & conualescendi à peste: vbi nulla habita sollicitudine de salute animæ, sed tantum corporis non daretur illa gratia mortem euadendi. Cauè, nimiam fiduciam in medico colles: sed in Deo, de cuius manu recordare te eam plagam accipere. quin & gratias age; imò ad maiora etiam te offer, sicque animo te compone ad diuina flagella. prout corpore fecit S. Elias tempore siccitatis ad placandum Deum. *Elias autem ascendit in verticem Carmeli & pronus in terram posuit faciè suam inter genua sua*, ait Scriptura. Ecce conglobatus orat, & habitu vititur serui ad verbera præparati, cui caput inter genua ac manus & pedes ita ligetur vt efficiat quasi globum: corpus autem sic componebat, vt se quasi verberonem ad flagella paratum ostenderet; vtque populo satis vexato diuturna fame & siccitate misericordiam exoreret, vt i voluit summa imaque corporis demissione. Vocandus tamen & medicus est, sed animi primò confessarius: aut saltem simul vocentur, & medicum roga vt liberrimè periculum indicet, liberè te curet, nam Deo grata ista resignatio. Vtinam medici se Discipulos Christi ostenderent, (viri pij votum est) & eundem finem se cum illo habere, qui solet per corporis morbos animam per sanare! vtinam tempestiuè semper, etsi periculum nullum sit, monerent, de anima curanda! tunc enim ex consuetudine pia non terrent vmquam infirmos. Stupenda verò res, agitur de æterna vita & momentanea, pro hac omnia & ardentur:

pro

Matth. 6.

3. Reg. 18.

Ioan. Palud
officin.
Spir. ca. 11.Via vitæ
l. 3. ca. 25.

pro illa sæpè vix aliquid & cum mora libet adhibere. neq; refert an extremum periculum sit (quod tamen tempore contagionis & in morbo pestifero semper est) cum enim incerta sint omnia, non deest vñquam. saltem placandus est Deus, qui sæpè iratus morbos infligit, nec sanat, nisi anima persanata. & vel illo solum titulo curandum esset de debita peccatorũ expiatione & statu gratiæ, vt mereri per ea quæ patimur, possemus. Nec contentus eris sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ accepisse, sed & Sacram Vnctionem postulabis dum adhuc vigent sensus & mente integer es, & responde si potes ad preces Ecclesiæ, aut saltẽ ad singulas vnctiones contritionem excita vel dolorem. Post eam gratias age, & resolutio animo nihil ab imminente morte territus, in manus Domini te resigna.

— *Ad vtrumque paratus.*

*Vivere siue mori, nam mors est ianua vitæ
Atque malis homines hæc liberat infinitis.*

De qua re eleganter S. Cyprianus in oratione de Mortalitate, quam scripsit occasione grassantis atrocissimæ pestilentiæ sub Gallo & Volusiano. Multi ex nostris in hac mortalitate moriuntur, id est, multi ex nostris de sæculo liberantur. mortalitas ista vt Iudæis & gentilibus & Christi hostibus pestis est, ita Dei seruis salutaris excessus est. Improuidi & ingrati sumus fratres dilectissimi ad diuina beneficia, nec quid nobis conferatur agnoscimus. Excedunt ecce in pace tutæ cum gloria sua virgines, venientis antichristi minas & corruptelas & lupanaria nõ timentes. pueri periculum lubricæ ætatis euadunt, ad continentiam atque innocentiam præmium feliciter perueniunt, tormenta iam non timet delicata matrona, metum persecutionis & manus cruciatuque carnificis moriendi celeritate lucrata. pauore mortalitatis & temporis accenduntur tepidi, confringuntur remissi, excitantur ignaui, desertores compelluntur

luntur vt redeant, gentiles coguntur vt credant. ita sanctus Pontifex, qui pluribus postea enumerat infinita commoda quæ pestis adfert Christianis. excitat etiam in eadē debiles ad tolerantiam & contemptum humanæ vitæ amore ecclestis; tum & angusti pectoris homines qui offendebātur quod debitum gentilium crudelitati supplicium Christianos quoq; pertingeret. Mouet quosdam, inquit, quod sit nobis cum ceteris mortalitas ista communis. quid enim nobis in hoc mundo non commune cum ceteris, quamdiu adhuc secundum legem primæ natiuitatis manet caro ista communis? quin imò si qua conditione, qua lege crediderit Christianus noscat & teneat, sciet plus sibi quam ceteris in hoc sæculo laborandū, cui magis sit cum diaboli impugnatione luctandū, & cui maius in futuro (quod ex Domini promissione addo) sit repositum præmium, si patienter ad Dei gloriam sustinuerit, dicens ex animo: fiat voluntas tua Domine. & non sicut ego volo, sed sicut tu vis. hie, hic seca, vt in æternum parcas. peccaui & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi. Dominus es; quod bonum est in oculis tuis, fac, & sicut fuerit voluntas in cœlo sic fiat, nam iustus es & rectum iudicium tuum. Verumtamen misericordiam tuam ne dispergas a me. tantummodo nunc da patientiam, & postea indulgentiam. Sicut Domino placuit ita factū est; sit nomen Domini benedictum. Quibus sententijs alijsq; similibus iaculatorijs oratiunculis tunc temporis homo consoletur, dicatq; sæpius, Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. perfectius est enim, vt ait Bonauentura, aduersa tolerare patienter, quàm bonis operibus insudare. nam melior est obedientia quàm victimæ. Obseruabit nihilominus diligenter quas habet occasiones promerendi indulgentias ratione sacrorum numismatum quæ medalias vocant. magna namq; imprudentia eas negligere, & quas breui oratione, vt dicendo semel no-

men

men Iesus, vel, Maria, vel actum contritionis eliciendo, redimere posses, pœnas grauissimas malle experiri. Dic cum B. Stephano: Domine Iesu accipe spiritum meum. cum Catharina Senensi: Domine commendo tibi cor meum. cum Dauid: Custodi me vt pupillam oculi, & sub umbra alarum tuarum protege me. & iterum cum eodem: Cum defecerit virtus mea ne derelinquas me, vsq; ad senectam & senium ne derelinquas me Domine. ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à seruo tuo. dic cum sponsa: Trahe me post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. cum bono latrone, Domine Iesu memento mei cum veneris in regnum tuum. fortassis responsum dabit; animosè fili, hodie mecum eris in paradiso. Numquam animo deficias, numquam desperes quantumcumq; vis dolorum ingruat, quantumcumq; medullas tibi ignis pestifer depascatur, sed fretus spe Dauidica dic mente alacri, In te Domine speraui, non confundar in æternum. & cum B. Paulo: Certus sum quia neq; mors, neq; vita, neque profundum, neque altitudo, neque creatura alia poterit me separare à Charitate Dei. Et tu o sancta Maria, succurre misero, iuua pusillanimum, refoue debilem. aspice quo rerum perditissimarum deuenim. Eia ergo aduocata nostra illos tuos oculos misericordes ad me conuerte, & Iesum benedictum fructum ventris tui mihi ostende propitium. tuus benignus oculus vt sol quidam mearum miseriarum tenebras dissipabit. erunt tua verba meae salutis oracula. tuus vultus omni suauitate refertus fiduciam meis malis conferet incredibile. quonia si ambulauero in medio umbræ mortis non timebo mala quando tu mecum es. Infinita his similia suppeditat, via vitæ Antonij Sucquet, & agrorum Schola Stephani Binet, alijque pij libelli. sed quod proprio Marte inuentum erit magis placebit, magisque feriet animum quam quæcumque alius posset suggerere.

Plurimum autem ad hoc seruiet si tempore grassantis pestilen-

pestilentiæ Pastores aliq; Ecclesiastæ exemplo S. Cypriani, S. Gregorij, S. Caroli Borromæi, plebem de suggestu ad opera pietatis excitent, qui sancti potissimum contra pestē inuocandi sint, quid adueniente morbo agendum sit, quomodo in eo se homo debeat habere, ad mortem quomodo se præparare, atque plura ijs similia proponere, & de ijsdem subditos instruere, efficax enim peruasio est Pastoris, maximè eo tempore, feruens concio. neque solùm tunc Sacramenta (quamuis id primariò curandum) ministranda sunt (in quibus quomodo se Pastores habere debeant, erudito suo libello accuratè docet Ioannes Chapeauille, què conscripsit de necessitate & modo ministrandi Sacramenta tempore pestis) sed etiam de suggestu plebs ad exercitia pietatis excitanda & de ijsdem instruenda est. Optimè profecto, inquit in simili Ioann. Palud. vir potens in opere & Sermone (cuius laus est in Euangelio per multas Ecclesias) Episcopis, Pastoribus & Concionatoribus omnibus

Judith. 8. inculcaretur illud S. Judith: *Et nunc fratres, quoniam estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet salus illorum, ad eloquiũ vestrum corda eorum erigite. Quæ autem ratione id fieri debeat, in sua plus quàm virili concione, expressit: Memores esse debent quomodo Pater noster Abrahamã tentatus, & per multas tribulationes probatus Dei amicus effectus est.*

Quomodo autem se gerere debeat contagionis tempore ne mercenarius audiat, verus Pastor, audire iuvat Pastorem supremum omnibus S. Gregorium Papam scribentè ad Dominicum Episcopum Carthaginensem, cum Africanas Prouincias lues sæuissima depopularerit, admonens eundem non quidem vt saluti consulens derelinquat gregem, sed vt pro eo vitam exponat. Vestra, inquit, eos, lingua (sicut & credimus) magis ac magis à prauis operis perpetratione cõerceat, bonorum præmia, malorum pœnas edisserat: vt qui bona minus diligunt, saltē mala pertimescant,

&

*Greg. li 8.
cp. 41. ad.
20.*

& ab his se, quæ sunt plectenda, contineant, & post pauca: Sed quoniam in his diuino adiutorio opus est, iniunctis dilectæ fratres precibus, omnipotentis Dei clementiam exoreinus, vt & nos dignè ista tribuat exhibere, & populorum ad hæc operanda, misericorditer corda compungat. Hæc de his quæ Episcopi agere debeant tempore mortalitatis mortis iam quasi proximus S. Gregorius, nam ægrotus & plus quàm vndecim menses afflictatus grauissimis podagræ doloribus & tantum non consumptus hæc scripsit, nihil interim remittens negotiorum Ecclesiasticorum. licet enim lecto decumberet, tamen epistolis suis veluti pennis aliger ferebatur, orbem Christianum lustrans, verbis instruens ac disciplina corrigens. vt plane secundùm illud Apostolicum ei acciderit: Cum infirmior, tunc fortior sum. Sic plebem sibi commissam adhortatus est contagione sæuiente S. Cyprianus Episcopus, viuida illa de mortalitate, hoc est, de pestilentia, oratione, cuius hæc est summa: Non timendam esse mortalitatem seu pestem, eò quod ad immortalitatem ducat, atque adeò fidem illi deesse qui non ad meliora festinat, neque mirum quod Christiano cum gentilibus sint mala huius vitæ communia, cū plus ceteris illis in sæculo sit laborandum, atque proinde exemplo sanctorum Iob & Tobie patientiâ opus esse, neq; murmurandum, nisi enim præcesserit pugna, non posse victoriam contingere, & quantumuis morbi communes sint vtrique, mortem tamen communem non esse, ad refrigerium enim iustos, ad supplicium rapi iniustos. deinde obiectioni tacitæ, quod per hanc mortalitatem priuarentur martyrio, respondet, non esse in nostra potestate martyrium, & vel animum ad martyrium promptum Deo iudice coronari, postremò non ita lugendos docet mortuos vt gentilibus scandalo simus, tamquàm spe resurrectionis careamus. quin si & nostræ accersionis dies venerit, lubenti animo ad Dominum hinc emigrandum, præsertim cū ad patriam

transmigremus, vbi nos magnus charorum numerus expectat, frequens & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita. Hæc & plura aureis verbis & fortissimis rationibus deducit & confirmat Africanus Rhetor & sollicitus Pontifex S. Cyprianus. idem fecit suo tempore S. Gregorius; cuius collationem ad populum, supra retuli. idem quoque S. Carolus Borromæus Mediolani, vt iam ante etiam enarraui. idem alij plurimi Sanctissimi viri & Pastores præstiterunt; quorum imitentur curas, qui eorum possident cathedras, si confortes velint fieri gloriæ & mercedis quas illi iam adepti sunt; ne pro benedictione maledictionem accipiant, & in decretorio mundi die exprobrationem illam audiant:

Zachar. 11.

O pastor & idolum derelinquens gregem tuum! derelicta non visitasti; dispersum non quaesivisti, & contritum non sanasti, & id quod stat non enutriuisti; sed carnes pinguium comediti, & vngulas eorum dissoluisti. gladius super brachium tuum, & super oculum dexterum tuum. brachium tuum ariditate siccabitur, & oculus dexter tuus tenebre-scens obscurabitur. ô pastor & idolum! non verus, sed vanus: non viuus, sed pictus & fictus pastor. simia pastoris, non pastor. simia est simia etiamsi aurea gestet insignia. ita & hi simiæ sunt non homines. aureum gestant pedum (verba P. Cornelij à Lapide sunt) auream coronam & mitram ac byssinam poderem, sed in mente & corde nihil habent sapientiæ, nihil curæ, nihil vigilantia, nihil industria pastoralis. hanc laruam in fine mundi detegget iudex Christus, ostendet quàm inane fuerit hoc pastoris idolum quod exterius præ se tulerunt. Ex aduerso veri pastores sunt qui non quarunt quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi; qui non bursas, sed animas venantur, qui non vitam lautam ambiunt, sed labores, Cruces & martyria pro gloria Dei; qui dicere cum Iacob Patriarcha verè possint:

Viginti

Viginti annis fui tecum (id est cum Laban (oues tua & caprea steriles non fuerunt; arietes gregis tui non comedi, non captum à bestia ostendi tibi. ego damnum omne reddebam. quidquid furtim peribat, à me exigebas. die noctuq; astu urebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis. vbi S. Gregorius ad Anastasium: Si sic laborat & vigilat qui pascit oues Laban, quanto labori quantisque vigilijs debet intendere, qui pascit oues Dei? ideo monet Timotheum suum Apostolus: Tu vero vigila, in omnibus labora, ministerium tuum imple. Non superentur Christiani à gentilibus hac in parte. inter alios enim de rege Persarum legimus quod cubicularium habuerit qui cum mane excitans dicere consueuerat: surge rex, atque ea cura, quæ te curare voluit Meloromaldes tuus Deus. Pensate, pensate fratres, clamat S. Gregorius, quantæ damnationis est sine labore percipere mercedem laboris. quanti criminis peccatorum pretia accipere, & nihil contra peccatum prædicando dicere. Pascite igitur qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè sed spontaneè secundum Deum, non turpis lucri gratia sed voluntariè: neque vt dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo, & cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.

*Iesu pie, pastor bone,
Tu pastore plebi tua
Tales mitte & largire.*

Finem facio, & Apothecam meam claudo, si prius orationem ad Deum fudero, & votum pro patria ad eius Matrem. Ne autem os meum loquatur opera hominum, ex sacris scripturis eam concinnabo, quia vt

Ecc 2

dixit

Plutarch. l.
de doct.
princip.

Homil. 7
in Euang.

1. Pet. 5. 2.

404 ORATIO PRO AVERTENDA PESTE

dixit Cyprianus, oportet Deum de suo orare. Dei enim in primis est quod proprio suæ carnis ore protulit. Dei deinde quod Spiritus sanctus inspirando dictavit. Debet etiam teste Tertull. oratio proficisci ex tali spiritu qualis est spiritus ad quem emittitur.

Oratio pro auertenda peste.

Ad imita-
tionem ea-
rum pre-
cationum
quas auer-
tendis
periculis
belgicis
moribusq;
sedandis,
composuit
Iacobus
Janſſon.
anno 1622.

EXaudi Domine supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: quia multiplicatæ sunt iniquitates coram te, & peccata nostra responderunt nobis. Vnusquisque in viam suam declinavit, & auersi sumus ne iremus post tergum Dei nostri: ideo apprehenderunt nos hæc mala vniuersa. Attende de cælo & vide de habitaculo sancto tuo & gloriæ tuæ. Ecce manus tua super agros nostros, & super nos ipsos pestis grauis valde: mortibus ægrotationum moriuntur grandes & parui in terra nostra; non sepeliuntur neque planguntur, sed super faciem terræ in sterquilinum manent. Ne irascaris Domine satis, neque vltra memineris iniquitatis nostræ; sed dic angelo percutienti, Sufficit: nunc contine manum tuam, nam ciuitates nostræ factæ sunt desertæ, factæ sunt in exustionem ignis. Numquid non populus tuus omnes nos? vbi est multitudo viscerum tuorum & miserationum tuarum? Conuertere Domine aliquantulum, & conuerte manum tuam & gladium tuum in vaginam. Si autem iniquitates nostræ responderint nobis, Domine fac propter nomen tuum; neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac propter te ipsum Deus noster, quia nomen tuum inuocatum est super nos. Numquid vsque ad internecionem desuet